Dissertatio Medica Inauguralis de Senectute morbosa. —— 1768. ——

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

SENECTUTE MORBOSA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

SENECTUTE MORBOSA,

QUAM

FAVENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

AEGIDII GILLISSEN,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS, HUJUSQUE FACULTATIS IN ACADEMIA LUGD. BATAV. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,* & *Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum examini submittit

CORNELIUS VAN DIEPEN,

AMSTELÆDAMENSIS.

Ad diem XV. *Julii* MDCCLXVIII. *H. L. Q. S.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOANNEM BOS, 1768.

VIRO

INTEGERRIMO

D. JOHANNI WILHELMO VAN DIEPEN,

PHARMACOPOEO APUD AMSTELÆDAMENSES VIGILANTISSIMO EXPERTISSIMO,


PATRI SUO EXOPTATISSIMO, CARISSIMO, OMNI FILIALI AMORE, DONEC SPIRITUS HOS REGIT ARTUS, SEMPER AMANDO, COLENDO, VENERANDO.

Hasce studiorum suorum primitias, ut & semet ipsum, ea qua par est reverentia

D. D. D.

C. VAN DIEPEN,

AUCTOR.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

SENECTUTE MORBOSA.



§. I.



Nasci ægrotare eſt, vivere ſæpe mori. Veriſſimum Poëtæ OWENII dictum eſt, ab ipſo Hippocrate jam notatum, cum dicit totum hominem ab ipſo ortu morbum eſſe, ac quotidiana teſtatur experientia.

Simulac homo natus eſt, ad occaſum vergit, multisque morbis ad extremum vitæ halitum expoſitus peccati pœnas luit.

Do-

Docent hoc suo exemplo recens nati, qui vix cum ejulatu miseriam hanc salutarunt, quin alienum auxilium implorent, ac multis, variisque incommodis debellentur.

En nasci ægrotare esse.

Ætate vero provectiore, ubi corpus ad incrementi ἀκμὴν pervenit, quam multis, immo quam plurimis miseriis non excruciatur, antequam adhuc ad senectutem pervenit.

In ea quam multa non occurrunt mala, quæ in initio vix manifesta sunt, verum tractu temporis magis magisque increscunt, homo vero magis magisque decrescit, donec tandem, licet ab externis injuriis immunis vivat, per propriam vitam destruatur, sicque senilem moriatur mortem.

De morbis ultimæ hominis ætatis, senectutis nempe, Dissertationem, ut almæ hujus Academiæ Legi satisfiat, scripturus, non dubito, quin B. L. in ea minus consona, ac prætervisa quædam inveniat; ast materiem tam gravem a me juvene, paucarum rerum adhuc perito, pro dignitate tractari posse, quis exspectaret? Interim ut cognitionis Medicæ Specimen exhibeam omnia ad meum argumentum facientia, quæ partim ex celeberrimorum hujus almæ Academiæ Professorum ore, partim ex doctorum virorum scriptis, audiendo, legendo hausi, Studiose Collegi, subsecuta meditatione digessi, proposui.

Hanc nunc L. B. serena fronte accipiat, rogo, obsecro.

§. II.

Quamquam vero de morbosa senectute agere constituerim,

rim, minime tamen omnes & singulos morbos, qui sine differentia in eam cadere possunt, exponere suscipio: notum enim est, senes quoque morbos incessere, aliis ætatibus familiares, & a diversis caussis externis, vel ab erroribus in sex rebus non naturalibus commissis, productos, sic e. gr. febres, angina, Pleuritis, variolæ, aliaque mala, æque in pueritia, juventute, quam in senectute hominem invadunt.

De iis itaque sermo erit, huic ætati tantum propriis, quique ex necessitate hancce ætatem excruciant, unde magno cum Jure Senectus ipsa morbus a Terentio pronunciatur, quum æque ac morbus vires depascit, & functiones totius corporis prosternit, sic quoque senectus œconomiam motuum omnium perturbat & impeditam efficit, atque caussa per se est, cur homo moriatur. Vide Clariss. Hofmannum de dicto Terentii, senectus ipsa morbus.

Ut autem, quantum fieri potest, ordine procedamus, antequam senectutem, ejusque morbos investigemus, primo humanum corpus, quatenus a natura dispositum sit, examinemus, dein affectus, qui labascente ætate ad mortem senilem in illo corpore fiunt, videbimus.

§. III.

Corpus humanum, machina a summo creatore quam perfectissime condita, & omni fabrica artificiali major, si materiem contrectabilem spectes, ex solidis & fluidis conflatur.

Ad solida primum referuntur eæ partes, quæ fluida continent, eaque vehunt, miscent, mutant, secernunt, adeoque vario modo in illa agunt, ut assumpta alimenta characterem vitalem acquirant, ultimoque effectu ex parte in ipsa solida abeant, quæ mutationes medicis digestio, sanguificatio, adsimilatio ac nutritio audiunt; huc pertinent omis generis canales & cavitates. Dantur præterea solida, quæ sunt instrumenta motus & stabilitatis, & pro ratione suæ conformationis, nexus, soliditatis, magnitudinis, numeri, situs, figuræ, instrumenti munere funguntur, quatenus corpus fulciunt, stabile reddunt, contenta defendunt, determinatos motus perficiunt, ut sunt musculi, ligamenta, cartilagines, immo ipsa ossa.

§. IV.

Fluida sunt, primo quæ in solidis continentur, ipsa solida distendunt, eorum latera atterunt, ab iis rursum propelluntur, & in motu conservantur, ut ex parte abeant in succum nutritium, ex parte vero in singulares humores coctos, inquilinos, ut sunt saliva, bilis, liquor pancreaticus, entericus, aptissima assumptis digerendis menstrua.

Dein quæ vi solidorum in actum deduci debent, ut a corruptione vindicentur; actio enim eorum a se invicem dependet, hinc ut vita sit & maneat salva, requiritur proportionata fluidorum in solida, & rursum solidorum in fluida actio, nam si fluida non satis solida dilatant, eorum

ca-

capacitas imminuitur, vaſaque collabuntur, unde anguſtatio, ineptitudo ad transmittendum, infarctus, & obſtructiones ægre ſuperabiles. Econtrario ſi ſolida non ſatis reagunt in fluida, ideſt ſi vi ſolidorum fluida non ſatis in actum deducuntur, ad tranſitum inertia fierent, ſtagnarent, & in corruptionem, vitæ quam maxime inimicam, vergerent.

§. V.

Præter materiem contrectabilem (§. III.) corporis humani ſolidis, dum vita viget, manifeſto ineſt vis quædam peculiaris, qua partes vivunt, creſcunt, ſe movent, & quæ a variis irritamentis in actum deducitur, & actiones ſiſtit longe intenſiores, quam quæ efficacitati ſtimuli reſpondere videntur.

Perinde autem mihi eſt, ſive vim vitalem, ſive irritabilitatem, ſive actuoſum, ſive animam hanc humani corporis, & extra mentis conſcientiam agentem virtutem adpellas, quamdiu enim per eam intelligis principium aliquod motus, mirabilis ſenſilitatis, quo ad contactum irritamenti partes ſe contrahunt, crispant, oſcillant, vocibus, nequaquam vero re ipſa diſſentimus.

Hoc vitæ principium, licet per cunctas corporis partes fuſum videatur, minime tamen omnibus & ſingulis æquali gradu, agilitate, duratione ineſt, ſed in aliis magis, in aliis minus ſenſile, aliis tenacius inhæret, in aliis cito fugax; aliis manifeſto inſidet, aliis tam occulte, ut vix aperte ſe prodat.

Magni autem momenti esse hanc vim vitalem patet ex eo, quod ab hac pendent omnis solidorum (§. III.) in fluida (§. IV.) actio, & omnes motus, qui in corpore fiunt.

Firma enim nostra, per se inertia, nullam omnino actionem præstare possent, nisi hac mirabili vi animentur, cieantur, impellantur.

§. VI.

Plerasque si non omnes humani corporis partes ex solidis constare physiologia monstrat, solidum enim nihil est aliud, quam universa illa massa, exiguis constans corpusculis, quamvis simplicissimis, diversæ tamen indolis, intime inter se mixtis, & vi quadam inter se cohærentibus, sicque totam nostram machinam, quoad solida ex aliis minoribus, vasa ex vasculis &c. immo ex meris nervis constare credunt, vide BOERHAVII Instit. Med. & ex his minimis sensim majora fieri, donec tandem ad vas maximum perventum sit, ad quod non nisi multorum minimorum vasorum abolitione pervenit; nam per infinitos intermedios gradus ad illam firmitatem, immo ad solidissimas partes itur. Vide auctorem citatum.

Hæcce vero firmitas diversa est ratione proportionis, qua aqua, Phlogiston, sal aut terra ad contrectabilem constituendam materiem concurrunt.

Elementa licet inter se diversa, sociali tamen vinculo inter se coadunantur, & tam intime miscentur, ut nulli-

bi

bi seorsim inveniantur, verum in statu sano exactissime in quavis corporis particula permista sint.

Hacce exactissima mixtione massa constituitur adeo cohærens, ut potius se de loco moveri, quam in alias minores particulas discerpi patiatur.

Hæcce vero exactissima mixtio semel si solvitur, reliquæ partes, sales, olea, aquæ, omnia organica corpora constituentia, sensim sensimque evanescunt, portio tantum fixissimæ terræ retinetur, ut patet in cadaveribus mortuorum, aëri diu expositis, ubi terra solum remanet, cætera in aëra avolant; id quod Celeberrimus BOERHAVIUS in Chemicis observavit, ubi, sed & illa ipsa, inquit, quæ sub terra conduntur cadavera in volatilem tenuissimam materiem brevi attenuantur, quæ postea facillime exhalat in auras de ipsa terra, & addit hic summus vir omnem igitur materiem corpoream, quæ quondam constituebat corpora animantium, quæ unquam exstiterunt, in aërem raptam fuisse; parva terrestris pulveris quantitate cum ossibus relicta. Si vero cadavera urerentur, ilico; si in campis deserta fuere, lentius; si sepeliebantur, adhuc tardius, attamen tandem eo exhalaverunt, & in subsequenti pergit, quid ergo miri, si & inde iterum pabulo antiquo congener materia corporibus idonea alimenta præbeat inde rursum nascituris.

§. VII.

Quatuor ante dicta principia æque mollissimo cerebro, immo fluidissimis humoribus insunt, quam durissimis ossi-

 bus,

bus, proportionata tamen earum firmitati atque cohæsioni copia.

Quomodo autem hæ partes mediate atque immediate inter se cohærent, quam elegantissime Venerandus meus Præceptor GAUBIUS in Pathologia sua his exponit verbis; aquæ & terræ, ad adposita cohærentiæ extrema constitutis, nec nude socialibus, salinum & inflammabile interponitur, hoc terræ, illud aquæ amicum, alterum quoque alteri facile coalescens; ut adeo horum interventu dissidentes materiæ concilientur: & in subsequenti paragrapho doctissimus ille vir addit, quare constat, partium humani corporis materiaturam ubique eamdem esse, elementa eadem, differentiam vero diversæ horum proportioni deberi. Abundans siccum cum pauco humido firmitatem efficit; fluorem contra opposita utriusque mixtio. Nec aliter dura pars a molliori, aut humor crassus a tenuiori discrepat.

§. VIII.

Corpus nostrum licet ex duabus antedictis partibus corporeis (§. III. & IV.) & vi motrice (§. V.) constet, insignis differentia tamen quoad molem aut indolem horum principiorum obtinet, quam paucis lustrare operæ pretium erit: de corporea parte primum; quo origini homo propior, eo copia fluidorum major, contra quo longius ab origine recedit, eo magis solidorum moles increscit; servata proportione incrementi ipsius corporis: solida ac fluida

ſaltem ad ſummum usque incrementi terminum augentur, copia vero inæquali; nam recens nati corpus ſi examinemus, quam molle, quam flexile eſt, quam mobiles exiſtunt omnes artus, & quid mirum? Ubi adorandus creator corpora noſtra flexilia fecit, majores partes ex minoribus, vaſa ex vaſis, membranas ex fibris conflavit &c., &, ne inter ſe concreſcerent, inter illorum interſtitia continenter renovatos humores exſudare, vel & decurrere voluit. In embryone ſolida vix deprehendes, oſſei certe nihil, ut dicit HARVÆUS, fœtu paulo grandiore facto, oſſeſcentia puncta juxta medium deteguntur, & quod notandum, ubi ſemel inchoata ſat celeriter in omnem dimenſionem increſcunt, tardius vero in minoribus quam in vaſtis. Quanta differentia inter oſſa infantis & adulti, tam molis, quam numeri, duritiei & figuræ intercedat, incomparabile ac abſolutiſſimum opus præceptoris mei ſemper honorandi ALBINI, ſiſtens icones oſſium fœtus, egregie monſtrat.

§. IX.

In decrepito ſene mirabiliter omnia concreta & exſucca ſunt, nervi, tendines, arteriæ, receptacula, cartilaginea, immo oſſea fiunt, ſicque mumiæ ad inſtar tota corporis moles fere in ſubſtantiam inflexilem degenerat; fluida reſpectu horum pauca, denſa ac inertia fiunt, hinc hujusmodi cadaveris oſſa ſuæ cohæſionis vi corruptionum cauſſis quam maxime reſiſtunt, neque in terra, nec aqua, nec

aëre,

aëre, nisi longo temporis intervallo resolvuntur. Copia enim fluidorum, quibus laxitas, debilitas, mollities debentur, quum in senio minuatur, terra prædominium capit: á copiosa igitur terra, pauca aqua ac oleo intermistis, cohæsio, firmitas, rigiditas duritiesque multum augentur.

Cessante inter solida ac fluida æquilibrio, per quod antea corpus perfecta sanitate fruebatur, solidisque copia ac viribus sensim fluidis prævalere incipientibus, multa mala, huic ætati tantum propria, hominem invadunt, in initio quidem pauca, postea vero manifestissima fiunt; & hoc adeo verum est, ut jam medicinæ parens in aphorismis suis observaverit, alios morbos infantibus, alios pueris, alios juvenibus & adolescentibus, alios adultis, & alios tandem senibus magis molestos esse.

§. X.

Nec vis actuosa, corpus animans, per omnes ætates semper eadem manet, sed magnas in agilitate, durabilitate, & efficacia subit vicissitudines; in junioribus mobilissima, sensilissima, ad omnis generis stimulos paulo fortiores, in enormes abripitur motus, quibus œconomiæ infantilis tenor facillime pervertitur: ætate vero & agilitas, & sensilitas, & robur multum minuuntur, donec tandem in senio fatali torpore langueat.

Surda igitur ad irritamenta ægre his obedit, & etiamsi cieatur in motum, tamen non nisi tardissime suo officio fungitur.

Uni-

Universa ergo œconomia effœta ingenti languore prostrata & sine viribus ægra jacet.

Languet vis enormontica systematis circulatorii, atque officinæ digestionis; hinc tardior concoctio, imperfectior assimilatio, imminuta humorum defæcatio, cruditatum accumulatio, humorum varia degeneratio, principii terrei abundantia, elementi diluentis inspissatio, atque acritas viscido immersa ægre superanda.

Haud lætior est reliquorum systematum status; musculi enim segni torpore ligati vix membra levant & testudineo gradu senes incedere cogunt.

Sensuum organa ob vim nervosam exhaustam, ignavam in concipiendis, excitandis, ac conservandis sensationibus turpi desidia laborant, & oculi luce, aures sono, lingua salibus, nares effluviis odoriferis, cutis qualitatibus superficiei vix mutantur, excitantur.

Tantum vero abest, ut has actionum læsiones a solo principio vitali torpescente derivem, ut solidorum rigiditatem in his producendis efficacem ipse agnoscam.

§. XI.

Ex dictis inter se collatis, & junctim sumtis, satis superque patere arbitror, quare senum corpora non amplius functionibus recte obeundis apta sunt, sed magis magisque ad motus edendos plane inepta fiant.

In prima enim ætate plurima vasa & liquida sunt & mem-

branæ fere totæ vasculosæ, quæ tandem per actiones, a vita inseparabiles, abolentur, & consolidantur.

Vita enim consistere nequit sine continuo humorum circuitu, eorumque actione in vasa, illorumque rursum reactione in fluida, quæ si rite perdurat, homo perfectissima sanitate, & constitutionis robore, atque integritate fruitur, quo incommodis ferendis par invenitur.

Diu continuata solidorum & fluidorum reciproca actione fibræ valide compinguntur & adunantur, vascula tenuissima concrescunt in fibras solidas, sicque lateribus unitis, vas illud perit, humoribus impervium redditur, atque naturam membranæ induit, longe tamen crassioris & fortioris, quam erat nondum concretum.

Ex vasorum autem abolitione siccitas, immobilitas, rigiditas solidorum oritur, unde tandem per has mutationes mors senilis accidit inevitabilis.

§. XII.

Præcipuus itaque senilis morbus, aliorumque morborum caussa in solis partibus solidis hæret, defectu enim minimorum vasorum compinguntur magis atque crassescunt partes, fluida, quæ antea per ea decurrebant, per hæc amplius ferri non possunt, sicque forti liquidi motu per majora vasa continuo ruentis, minora, ex quibus majora constant, magis magisque comprimuntur, unde nihil liquidi admittere possunt, verum latera concrescunt, unde mira occurrunt phœnomena.

Quum

Quum enim omnes corporis humani actiones motu absolvantur, solida autem ad motus præsertim oscillatorios & recursus minus apta sint, patet, quod in senibus omnia systemata adposite ad leges sanitatis suo munere fungi nequeant.

Verum quidem est fluida in senibus quoque lentiora, spissiora, acriora esse, sed & hæc tenacitas, acritas primam suam originem a solidis trahit.

Corpus enim suos sibi humores ipsum fingit, eosque ad indolem suæ cohæsionis sibi format, unde constitutio solidorum siccior, humores sistit spissiores, minus fluidos. Deinde quoque acrimonia rigiditati debetur.

Ostia enim vasorum excretoriorum minus flexilia, minus dilatabilia, partes acres in cute, renibus exire non sinunt, quæ retro actæ in corpore manent, totamque humorum massam sua nociva qualitate inquinant.

Tandem torpor, qui ætatem senilem presso pede sequitur, & per omnium functionum systemata se diffundit, ad solidorum, nequaquam vero fluidorum, vitia refertur.

§. XIII.

Rigiditas utrum adsit, nec ne, quilibet facile cognoscit. Quinam vero sit status partis rigidæ interior, in sensus non incurrit, hinc explicandus est.

Quum rigidum distractioni, compressioni, flexioni ad latera, magis resistat, debet adesse nisus partium, quo statum suum tuentur, id est, vigere inter eas debet major co-

hærentia. Minime vero quælibet cohæſio ſolidorum corporis humani juſto major rigiditas adpellatur, ſed ea demum adaucta cohæſio, qua partes non admittunt eas diſtractiones, flexiones, quas munia ſanitatis poſtulant.

Tantum vero abeſt, ut omnibus ſolidis noſtri corporis unus idemque ſit cohærentiæ gradus, ut cuilibet parti ſuus ſit, quo ad munia ſua, quæ præſtare debet, apta nata eſt.

Quum igitur firmarum cohæſio ratione functionum variet, & hæ variæ, immo diverſiſſimæ ſunt, variæ quoque inde a pulpa cerebri molliſſima ad dentem usque duriſſimum cohærentiæ gradus intermedii obtinent, qui omnes absque actionum læſione mutari nequeunt.

Deinde magna quoque hic obtinet differentia ratione ætatum. Tria præſertim in homine occurrunt ſtadia, incrementum nempe, ſtatus atque decrementum. cuique ſua cohæſio data eſt; ſi eadem cohæſio recenter nato eſſet infanti, quæ ſeni, nulla ratione creſcere poſſet, & ſi adultus eam mollitiem fibrarum haberet, quam in infantibus laudamus, negotiis ſuis peragendis nequaquam par foret.

Nec elaſticitas in ſenibus a vitiis immunis eſt.

Per elaſticitatem volo illam partium firmarum vim, quæ elongata, compreſſa, vel alia quacunque ratione mutata, ceſſante vi mutante, ſua ſponte in priſtinum ſtatum reſiliunt.

Nititur hac vi magna pars actionum corporis humani, præſertim circulatio magnas inde accipit ſuppetias. Fluida enim in vaſa impulſa, hæc diſtendunt, ceſſante vero vi cor-

dis,

dis diſtendente canales in priſtinum ſtatum reſiliunt, ſeſe iterum arctant, in fluida reagunt, eaque ulterius propelſunt.

Negata igitur extenſione, aut vi reſiliendi amiſſa, de humorum circuitu, immo de ipſa vita actum eſt.

Quum enim partis elaſticæ contractionem præcedere debeat extenſio, ſequitur, ut ſi ſolida ſint minus rigida, vaſa fluidis diſtendentibus nullo modo cedant, motus ſanguinis protinus ſuffocetur, & ſenilis, immo placida ſuperveniat mors.

§. XIV.

Ad cauſſam cohæſionis proximam quod attinet, eam cum Phyſicis in contactu partium terreſtrium immediato ponimus, hinc rigiditatem proxime a contactu illarum partium adaucto derivamus.

Perinde autem erit ſive principii terrei abundantia major, ſive partium diluentium defectus eum inducat.

Cauſſæ ergo remotæ rigiditatis erunt omnes conditiones, quæ partium terrearum contactus proximiores adaugent, ſive earum copiam, ſive aquæ interfluentis defectum gignant.

Ad ultimum inducendum ipſa vitæ jugis actio, dum fluida ex interſtitiis & poris expellit, reliquaque adunat, multum confert.

Prout ergo ſolidorum & fluidorum actio major vel minor eſt, eo citius tardiusve hoc rigiditatis incrementum homi-

nem invadit, incommodaque ab ea dependentia hominem opprimunt: vis vitæ magna, valdeque actuosa hominem ocius ad senectutem disponit, atque brevi tempore id præstat, quod tranquilla vita diuturniori demum efficere valet.

Vita igitur actuosior corpus cito ad suum incrementum perducit; & hæc est ratio, cur robur & firmitas solidis in partibus citius increscat in iis corporibus, etiam in juvenili ætate constitutis, quæ duris laboribus, venatu, equitatione, aliisque molestiis defatigantur, quam quæ vitam moderatam vivunt.

Consideremus modo hominem, cujus vasa non magno impetu in contentos liquores agunt, nec hi rursus fortiter reagunt, & conferamus eum cum alio, in quo contraria fiunt, in quo mutuæ hæ actiones valde vigent; prior per omnem fere vitam, saltem per longum tempus, corpus suum, molle, pulposum servabit, alter vero brevi corpus habebit firmum, rigidum valdeque elasticum.

Exempla nobis præbent rusticorum pueri, qui, nondum 7, 8ve annum adepti, duris jam laboribus sub dio a primo sole ad occasum exercentur, unde cito ad incrementum perveniunt, immo ubi nondum quadragesimum agunt annum rigidi incurvique fiunt, sicque ante tempus senescunt; si rogas unde hoc? responsio erit facilis. Sanguis dum cor est in systole maximo impetu ruit a basi arteriæ apicem versus, unde maximam resistentiam ubique, præsertim ad arteriarum fines patitur, resistentia tunc potentia pellens est ab apice ad basin arteriæ, tunc sanguis continuo premitur, compingitur, solidior ac ponderosior fit, sicque plus virium

ac-

accipit ad arterias coërcentes æquabiliter in omnem dimensionem expandendas ; quo magis nunc majorum vaſorum latera expanduntur, eo plus vaſcula minima, per hæc diſſeminata, premuntur, comprimuntur, liquidis ſuis orbantur, tandemque coaleſcunt, unde tunc vaſa majorem acquirunt firmitudinem & robur; robur enim corporis humani ſequitur partium compactionem, & hæc ab actione mutua ſolidorum & fluidorum pendet.

Huc quoque multum confert abuſus liquorum ſpirituoſorum, fermentatorum, adſtringentium, quo morboſa illa diatheſis ſolidis partibus eo citius ingeneratur quo meraciores ſunt & quo frequentius adſumuntur.

Horum enim liquorum vim compingentem non ſolum vim vitalem in actum deducendo, ſed & in vim mortuam ſolidorum agendo efficacem eſſe, notum eſt, atque manifeſtum.

Virtutem ſpirituum ardentium conſtringentem confirmat experientia, partes enim animalium in ſpiritu paulo meraciore per tempus maceratæ, adeo indureſcunt, ut coctione dein ægre iterum emolliri poſſint.

§. XV.

Solidis ſic vi ac copia fluida exſuperantibus, fluida minuuntur ob vaſorum anguſtiam, minimorumque plenariam occluſionem, ſuccique utiliſſimi non tam promte, ac tanta copia ſecernuntur, immo ſubtiliſſimi quidem omnium primo deficere incipiunt.

Ab-

Abolitione tam multorum minimorum vaſorum, per quæ in prima ætate plurimi fluebant liquores, reſiſtentia magis magisque augetur, ſanguinique a corde propulſo obſiſtitur, ſicque ob anguſtiam tantum ſanguinis accipere non poteſt, quantum cor una vice expellit, hinc cor debile evadit, debita ejus evacuatio impeditur, ac ſanguine viſcido, craſſo, ac lento muco obruitur; unde non mirum (ut verbis Celeberrimi Hofmanni utar) in nutante & extrema ætate nutritionem partium ſolidarum deficere, vires quoque & potentiam movendi, item animi vigorem, corporisque agilitatem cum calore decreſcere, & ſuccos vaſorum valde impuros fieri, ut ſenectus ipſa morbus evadat, & mors certo nec tardo pede ſubſequatur; ſubtiliſſimi cum deficiunt humores, functiones ab iis pendentes, etiam deficere debere, quam certiſſimum eſt.

Spiritus enim, aut ſi mavis vires vitales, ſyſtemata animantes univerſa, opifices omnium functionum ſunt, qua de cauſſa ſeneſcentes homines præcipue de privatione ſenſuum tam externorum quam internorum queruntur.

§. XVI.

Omnes ferme ſenes de læſo principali ſenſu, auditu nempe, conquerentes audimus; organon eſt ad commercium cum aliis hominibus valde neceſſarium, cujus miniſterio ideæ in mente ſuſcitantur & cum aliis communicantur.

Quum hoc organum perquam ſubtile, & præterea multiplici

plici adparatu, huic ſenſui inſerviente, formetur, multis quoque cauſſis turbari poteſt.

Si tympanum nimis craſſeſcit, & induratur, tunc vaſa, quæ mediam tympani lamellam faciunt, abolentur, flexilitas & aptitudo ad tremores ſuſcipiendos pereunt, nervi acuſtici, portio mollis in infinitos ramos diviſa eſt, per quos opifices functionum, h. e. ſpiritus, fluere debent, ſeu qui vi nervoſa ſedem præbent propiorem, in membrana labyrinthum inveſtiente deſtribuuntur.

Si igitur ſolidiores ac aridi fiunt, immo exſiccantur, radii ſonori minus vivide ſenſorium commune afficiunt, ibique tunc idea ſoni minus vivida percipitur.

Poteſt quoque in cauſſa eſſe ligamentorum, muſculorumque, ad motum mallei, ſtapedisque deſtinatorum, rigiditas, quæ ſenili in corpore ſæpe occurrit.

Plures enim partes ſenilis corporis calloſas reperiri anatome docet, non ſolum muſculos, vaſa, nervos, verum ipſum cerebrum durum fuiſſe legimus; optimo itaque jure venerandus ſenex ſenibus auditum gravem adſcribit.

§. XVII.

Sed & oculorum acies multum minuitur, & viſus aboletur. Viſus organon ſine dubio eſt optatiſſimum, hominis vitam gratam faciens, objectaque menti clare & diſtincte repræſentans.

De oculi aliorumque ſenſuum externorum fabrica conſule anatomicos. HIPPOCRATES quoque oculorum humiditates,

visus hebitudines, glaucedines, inter morbos seniles retulit.

Omnes in incipiente senectute jam de Presbyopia conqueruntur, vitium, quo objecta non nisi remotiora distincte videri possunt; nascitur ob vasorum minimorum, quæ oculorum tunicas percurrunt, ac humores contentos suppeditant & nutriunt, defectum & contractionem: humores in oculo deficiunt subtiliores, hinc & humoris aquei copia minuitur, cornea collabitur, applanatur, minusque refringit, unde radii lucis incidentes minus convergentes fiunt, objecta sese confuse repræsentant.

Accedit quod ex defectu humorum, & lens crystallina minus turgeat, magis planus fiat; hinc iterum minus radii incidentes cogantur.

Præterea visus quam maxime hebescit, cujus rei plures sunt caussæ; nervi in senibus rigidiores, ad motus oscillatorios inepti, adeoque & insensibiles fiunt.

Retina igitur, quæ nervi optici expansio perquam tenerrima est, fit minus sensibilis, ac minus vivide ab objectis adficitur, unde in sensorio communi minus clara impressio sequitur, & in mente minus vivida excitatur idea.

Porro & humores, antea diaphani, nunc vero minus pellucidi, immo opaci, caussam oculorum hebetudinis esse possunt, dum radios transeuntes intercipiunt, ut ad retinam pertingere nequeant.

Tandem & in nervo optico, varia ratione adfecto, visus imminuti, ut & aboliti, sæpissime caussa hæret.

Legimus in observationibus Anatomicis SANTORINI, se in ca-

cadavere hominis, cujus dexter oculus vera amaurosi dudum affectus erat, opticum nervum ejusdem lateris æque graciliorem & colore obscuriorem invenisse; qui marasmus a rigiditate nervi optici suum ortum traxisse videtur.

Quænam mala nunc ex tali nervorum constitutione, tum in hoc, tum in aliis sensibus nasci possunt, unicuique nervorum functiones perpendenti facillime patebit.

§. XVIII.

Proximum est sensum Tactus, qui in senibus quoque vitiatur, considerare.

In prima ætate omnia tam mollia sunt, ut ad levissimum attactum infans sentiat, partesque statim retrahat.

Optimo enim jure tactus fidelissimus dicitur sanitatis, & integritatis custos; hostile enim, læsionem minitans, organon tactus gravius adficiens, dolorem excitat, qui de remedio adhibendo cogitare cogit, sive illud in fuga & retractione partis, sive in repulsione caussæ lædentis, quæramus.

In senectute e contra omnia arida atque exsucca sunt, vix sentiunt, licet partes fortius adficiantur, immo, (quod tamen rarius evenit) pungantur, uranturque.

Deleta enim nervorum cavitate, spiritus influere non possunt ac systema nervorum minus mobile fit, unde tactu sensorium commune non satis vivide adficitur.

Præterea ut tactus rite peragatur, cutis flexilis esse debet; hæcce flexilitas a perspiratione dependet, hæc vero

ob ſpiſſitudinem humorum, & vaſorum coalitum in ſenibus multum minuitur, unde cutis rigidior devenit, objectis admotis minus cedit, impreſſionesque in papillas nerveas, in habitu cutaneo deſtributas, reddit obtuſiores.

Videmus hoc in partibus cicatrice obductis, ut & in fabris ferrariis, qui propter cutis calloſitatem in volis manuum vix aliquid ſentiunt; nam per cutis calloſitatem ipſæ papillæ calloſæ fiunt, quæ tactus organa ſunt.

§. XIX.

Similiter & Odoratus læditur ſive ex organi, ſive ex ſpirituum animalium, ſive vis vitalis vitio illud fiat, requiritur enim ad exercitium Olfactus, ut ad omnes reliquos ſenſus, organon rite conſtitutum & vigor liquidi nervoſi, ſeu virtutis nerveæ.

Iisdem ergo cum peragatur inſtrumentis, ut reliqui ſenſus, eodem etiam modo laborare poteſt.

Nervi enim expreſſo liquido vitali exſiccantur, ad impreſſiones ab effluviis recipiendas nimis rigidi atque inepti non tam vivide afficiuntur, ut in ſenſorium commune ſufficiente impetu propagari poſſit mutatio.

Porro & humores ſua acritate in vitio eſſe poſſunt, nempe membrana pituitaria Schneideri, ipſæque papillæ nerveæ affluxu talium humorum excoriantur, ſicque ad ſenſum odoriferorum inertes fiunt, vel & ſiccitate membranæ olfactoriæ odoratus læditur, ubi enim illa membrana naturali

ſuo

ſuo humore non ſatis humectatur, papillulæ rigeſcunt, minusque mobiles fiunt.

§. XX.

Quanti quoque æſtimari non debet ſenſus ille, quo grata ſeu ingrata, quæ in eſculentis & potulentis hærent, percipiuntur, & quem Guſtum vocamus.

Hic ſenſus in ſenibus quoque depravatur, unde varia eſculenta ac potulenta illis quaſi nullius ſaporis ſunt, quæque in juventute in deliciis habebantur, nunc inſipida facta aliam naturam induiſſe videntur.

Et quid mirum, quum ad organum guſtus, æque ac ad alia ſenſuum inſtrumenta, concurrunt multa vaſcula, nervi, quibus hic ſenſus peragitur, quorum abolitione, ac conſolidatione ſuis humoribus orbantur, & ad ſenſum perficiendum impares fiunt papillulæ nerveæ; membranis, papillas inveſtientibus, rigidis exiſtentibus, materies guſtanda ad papillas penetrare nequit, unde morboſa hacce mutatione illis varia imminent pericula; porro morboſa hujus organi mutatio in cauſſa eſſe poteſt proſtrati appetitus, quia omnia, licet grata, illis (ut dicunt) ſtraminei quaſi ſunt ſaporis, unde nil appetunt.

Hactenus, licet ſtrictim & breviter, de abolitione ſenſuum externorum, unde quoque patet ſenectutem ipſam morbum eſſe.

§. XXI.

Magna quoque in colore capillorum mutatio obſervatur, dum graves annis fiunt ſenes.

Res hæc adeo pervulgata eſt, ut canities & ſenectus jam apud vetuſtiores ſcriptores ſynonyma quaſi fuerint.

Probant hoc leges in honorem ſenectutis latæ, in quibus cani & ſenes pari paſſu ambulant.

Senectutem enim ſemper honoratam atque cultam fuiſſe, tam ſacra quam profana teſtantur ſcripta.

Inter leges divinas hanc legem habemus, coram cano capite aſſurgeto, ut honorem habeas faciei ſenis.

Ut & apud ipſos ethnicos canities honorata fuit; ſic Ovidius in honorem ſenectutis canit:

Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.

Porro Juvenalis in eandem ſententiam acutiſſime ſcripſit:

Improbitas illo fuit admirabilis ævo,
Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non adſurrexerat, etſi
Barbato quicunque puer; licet ipſe videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos;
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis
Primaque par adeo ſacræ lanugo ſenectæ.

Unde

Unde in proverbium, dignitas ſenum canities.

Canities eſt pilorum, quemcumque etiam antea habuerunt colorem in canum mutatio.

Pili noſtri diaphani ſunt, atque ſubtiliſſimis humoribus replentur, & pro hujus liquidi varietate colorantur.

Cum nunc in ſenio minima vaſa ſuo liquido orbantur, mirum non eſt, pilorum cava ſubtiliſſimis iſtis humoribus deſtitui, areſcere, coloremque canum acquirere, ut in omnibus noſtris ſolidis partibus, omni humido deſtitutis, apparet: quo magis nunc hæcce vaſa conſolidantur, eo magis pili ſuo liquido deſtituantur, radicesque pilorum areſcant, atque ariditate & ſiccitate cutis, cui inhærent conſtringuntur, ſuamque flexilitatem, ab oleo ſive pingui dependentem, amittunt, mortuique defluant, ſicque cani loco calvi fiunt.

Alii calvitiem a diſtantia meningum a cranio dependere putant, verum hoc aliis dijudicandum relinquo.

§. XXII.

Deſtituuntur ſenes armis illis, dentibus nempe, quorum ope manducatio, actio ad ciborum concoctionem ſummopere neceſſaria, peragi debet, dum propter deficientem nutritionem, ac gingivarum carnis exſiccationem, ſtabilitatem amittunt, & præterea alveorum cavitas ſenſim ſenſimque imminuitur, tandem dentes ex illis extruduntur, ſic mandibulæ, dentibus carentes, poſtquam provida natura,

al-

alveolis attritis, superficiem reddit æqualem, ciborum comminutionem, quantum fieri potest, efficiunt, quæ comminutio imperfectior est, unde ad aptam dissolutionem in ventriculum non disponitur cibus, major ventriculo creatur molestia, chylus elaboratur minus coctus, crudior atque spissior; nam nec in ventriculo, nec in intestinorum volumine tanta ad cibos adplicatur vis, quanta dentium munere perficitur, quare senes, ni duriora minutatim scindant ad manducationis aliquam similitudinem, male concoquunt: ut dicit Celeb. HALLERUS in Physiologia sua, ut & BELLINUS in libro de urina & pulsu.

Atque hinc etiam est quod grata, quæ in cibo insunt, non recte gustare possint senes.

Maxilla inferior figuram mutat, & inanibus alveolis contractis, & quasi concrescentibus, multum de sua altitudine amittit, fitque continuus levis & tenuis pro alveolis margo, vide citatum HALLERUM.

Extrusis sic ex maxilla tam superiore, quam inferiore dentibus, labia, quibus Deus dentes tanquam clypeo munivit, atque obtexit, ut hoc pacto constructi, veluti septum, frigidiorem aërem prohibeant, (frigida enim dentibus inimica esse dicit HIPPOCRATES) concidunt, mentumque prominet, sicque facies novam figuram acquirit.

Loquelam inde quoque mutari res extra controversiam posita est, quum ad editum sonum mutandum, varieque determinandum etiam necessarii sunt; dicit enim EUSTACHIUS in tractatu de dentibus; infans, ut vulgo dicitur, sine dentibus

tibus vagit, duos quatuorve dum habet muſſitat, ore illis referto loquitur.

§. XXIII.

Cutem velamentum illud externum leve, explicatum, atque politum in juventute, mirum in modum mutari in ſenectute, rugoſitas ejus atque ariditas demonſtrat, præcipue in facie circa oculos & frontem, quam ruga ſenilis arat. Ad hoc reſpiciens canit Poëta:

Quam cito, me miſerum! laxantur corpora rugis,
Et perit in nitido, qui fuit ante color.

Nonne hoc a diminutione minimorum vaſorum, antea impletorum, nunc concretorum, & inde oriundo habitus cutanei collapſu, dependet? Vel potius a defectu pinguedinis, quæ ex folliculis ſubcutaneis exſudat, & in tela celluloſa, ſubter cutem hærente, copioſius in juventute reperitur? Utrumque hic obtinet: ſi attendamus ad primum; in juventute facies colorata eſt propter minimorum vaſculorum meabilitatem, verum hiſce coalitis color ille roſeus recedit, cutis colorem cineritium acquirit, rugoſa ac ſicca fit.

Quoad defectum alterius, in ſenectute glandulas imminui, immo plane evaneſcere, anatomici teſtantur; cum nunc illo fonte clauſo nullum pingue, quod antea cutem linibat, atque flexilem ſervabat, adfluit, mirum non eſt, cutem ſiccam fieri rugoſamque.

Cute nunc denſiore aridaque facta, ſaluberrima, valdeque neceſſaria perſpiratio, quæ corpus a putredine atque interitu vindicat, propter coarctatos ac contractos poros, ac tubulos ſubcutaneos valde minuitur ac ſupprimitur, monentibus SANCTORIO & GORTERO, hinc plurimæ recrementitiæ ſordes, multaque inquinamenta in corpore remanent & vigori vitali inſervientes humores conſpurcant; ſegniore enim humorum circuitu, excretionibus impeditis, dulcis alias & ſaporis expers ſuccus nutritius peregrinæ & ſalſæ indolis humore inficitur, unde fons multorum morborum exſurgit, quos ſenibus familiares HIPPOCRATES in Aphoriſmis enarrat his verbis: ſenibus difficultates ſpirandi, catarrhi tuſſiculoſi, ſtranguriæ, dyſuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, mali corporis habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi & oculorum, & narium humiditates, viſus hebitudines, glaucedines, auditus gravitates.

§. XXIV.

Quod tales morbi a ſuppreſſa inſenſibili transſpiratione oriri poſſint, attendenti facile patebit.

Obſtructis organis ſecretoriis, excrementa, quæ antea evacuabantur, nunc intropelluntur, ac in corpore retinentur, & humores ſegniori motu multis impuritatibus contaminantur, & a naturali ſua craſi deflectunt, corpusque multis cruditatibus, humoribusque frigidis & lentis repletur.

Si talis materies ad hoc vel illud organum defertur, ratione

tione organi varia acquirit nomina; infarciendo pulmones, ſpirandi difficultatem, vellicando tunicam interiorem Tracheæ, tuſſim producit, & quæ ſunt reliqua.

Verum enim vero Dyſuria quam plurimi laborant ſenes propter partes ſalinas acreſque, quæ in juventute per perſpirationem ſudoreſque expellebantur; prohibita hacce evacuatione, hæ partes ex maſſa ſanguinea, per Renes ad veſicam deferuntur, ibique ſenſiles illas partes vellicant, ac ſtillatim cum ſenſu ardoris excernitur urina, aut graviori excitato ſpaſmo penitus ſupprimitur, immo corroſis vaſis ab acrioribus particulis, mictus cruentus ſupervenit.

Nonne ex eodem hocce fonte arthritici, podagricique cruciatus, ac articulorum dolores ortum ſuum trahunt? humores propter impeditam perſpirationem acres factos minima vaſcula irritando, rodendo, conſtringendo, obſtruendo ad morbum hunc producendum ſuum ſymbolum conferre, res extra controverſiam videtur.

Memoratos morbos etiam ab internis oriri poſſe, mirum non videtur, ſi modo conſideremus, corpus noſtrum, tam qnoad internum, quam externum perſpirabile eſſe, itaque minima illa vaſcula exſiccari atque immeabilia fieri poſſe.

§. XXV.

Senum corpora ad perficiundas functiones magis, magiſque inepta fieri, quotidiana docet experientia.

Quo magis vero motuum animalium, vitalium ac natura-

lium exercitium imminuitur, eo majoribus mutationibus exponitur homo; quod jam eleganter dicit SENECA; nemo, inquit nostrum idem est in senectute ac juvenis, nemo mane qui pridie, corpora nostra rapiuntur fluminum more, quidquid vides, currit cum tempore, nihil ex his, quæ videmus manet, ipse ego, dum loquor ista, mutatus sum, corpus humanum transit ad perfectionem, transit etiam ad interitum; & mox addit, indita corpori nostro est talis caussa, cujus necessitate in viribus augetur, deficit, & etiam interit.

§. XXVI.

Ex disputatis credo, patet, mirum non esse senum corpora ad varios motus inepta fieri, quum eorum actiones a sanguinis debito sufficientique in partes solidas influxu, accedente simul spirituum, omnium, quæ in corpore fiunt, opificum, sufficiente & adæquata copia, unde vita in vigore esse dicitur.

In senum vero corporibus in solidis naturalis & legitima ad motum edendum dispositio, musculi, tendines, membranæ &c. in suo motu turbantur, vel abolentur, quum fontes, ex quibus humores adduci debent, clauduntur, circulatio fit languidior, minima vascula abolita sunt, subtilissimumque illud fluidum, quod in cerebri tubulis secernitur, impeditur propter collapsos ac obstructos istos tubulos.

Præ-

Præterea emaciantur ſenum corpora, quum, deletis minimis hiſce vaſculis, nutritio, repletio corporis ceſſat, pinguedo abſumitur, nec reſtituitur, hinc nec oleo & pinguedine, muſculi ac tendines lubricantur, ſic corpus marceſcit, & magna cum difficultate motus ſuos exercet.

§. XXVII.

Videamus nunc brevi, quare ſenes tremulo paſſu incedant, eorumque oſſa ſtrideant.

Omnia noſtra oſſa articulationibus ſibi jungi, oſtiologicis notum eſt; hiſce articulationibus ſupremum numen valida ligamenta impoſuit, quibus oſſa inter ſe uniuntur.

Ne vero violento, quem præſtare debent oſſa, motu ad ſe invicem injurias ſibi inferant, providens natura ad omnes articulationes ſacculos, ligamenta capſularia, poſuit, oleo ſive ſimegmate Haverſiano, per ſingulares glandulas, in articulis ſitas, ſecreto, repletos, quod articulationes lubricat, ligamentaque a ſiccitate, & rigiditate defendit ac præcavet, ne extremitates oſſium, per articulum commiſſorum, incaleſcant, inordinatumque fervorem per motus ſuos contrahant.

Supra jam diximus ſyſtema glanduloſum in ſenibus penitus evaneſcere, adeoque & glandulas articulares, unde ſmegma illud lubricans deficere incipit, ligamenta exſucca, rigida redduntur, unde non mirum, quod partes hæ, dum moventur, ſtrepitum excitent, ſtrideantque.

Ipſa quoque oſſa magis conſolidantur, atque exſucca fiunt, propter abolitionem, & coalitionem vaſorum, unde nutriri debent, ſic ſuos motus difficilius peragunt, nam in juventute in medio oſſa ſunt duriora magis compacta, circa juncturas latiora, nam lamellæ ibi magis a ſe invicem ſecedunt, ac inter earum interſtitia plura eunt vaſa, inunguntur que oleo illo ſubtiliſſimo medulloſo, quod in ſanitate ibi deponitur, & per corporis motum per iſtas lamellas deſtribuitur.

Deficientibus igitur oleo medulloſo ſubtiliſſimo ac vaſis, lamellæ hæ magis compinguntur, oſſaque fragilia fiunt, immo, ſi frangantur, non facile iterum conſervent, quia deſtituuntur illo ſucco, unde callus generari debet.

Exſiccantur ſic magis magisque etiam partes molliores, quæ inter oſſa hærent, cartilagines puta, quæ inter quamque vertebram, columnam illam erectam ac ſtabilem, poſitæ ſunt, retropulſis ac expulſis liquidis, unde ſenum corpora revera decreſcere dicuntur, ſed quoque incurvantur, quum ligamenta, quæ vertebras nectunt, prius flexilia, nunc rigida atque exſucca, immo penitus oſſea fiunt, unde tunc vertebræ magis ad ſe adducuntur, & ad anteriora trahuntur, ſicque capite terram petere videntur, ubi antea erecto capite incedebant.

Unde non immerito cecinit poëta:

Hæ ſunt primitiæ mortis; his partibus ætas
Defluit & pigris greſſibus ima petit.

Non

Non habitus, non ipſe color, non greſſus euntis,
Non ſpecies eadem, quæ fuit ante, manet.

§. XXVIII.

Abſolvimus ſic, ni fallor, ſenſus externos, perpendamus nunc paucis, quid & in internis fieri poteſt.

In omnibus ferme ſenibus, memoria, judicium, ratiocinandi facultas minuuntur ac labaſcunt, & quid mirum! dixit jam VIRGILIUS in eclogis, omnia fert ætas, animum quoque.

Quemadmodum enim in juventute omnia corporis membra ad motum alacriora, in ſenio vero torpida, tardaque videmus, ſic quoque in junioribus omnes ſenſus interni vigent & præ ſenibus diutius retinere poſſunt, quæ memoriæ tradita ſunt; quia in illa ætate organa ſenſuum facilius, vividiusque afficiuntur, & inde impreſſiones diutius retinentur; in ſenectute vero ſtamina rigidiora propter minorem ſyſtematis nervoſi mobilitatem & ſenſorii communis, quod in ſubſtantia cerebri medullaris eſſe videtur, firmiorem naturam, ægrius in oſcillationem cientur, hinc & ſenſus interni languidius peraguntur.

Præterea omnipotens creator in corpore harmoniam quamdam ſtabilivit, qua fit, ut, affectis vel mutatis corporis actionibus, etiam ſpiritus adficiantur, e contra ſi ſpiritus præter naturam adficiuntur, ſtatim quoque corporis actiones perturbantur, unde patet, quod ſi corpus ſanum ſit, animi

mi facultates etiam vigeant; quod jam dixit HIPPOCRATES, in libro de diæta, si sanum fuerit corpus & non a morbis perturbetur, animæ quoque temperamentum sapiens existit. Notum est ad sanitatem requiri, ut circulatio sit libera, humoresque sint blandi ac puri, quoniam vero in senio, ut antea jam monuimus, propter obstructos tubulos sanguinis circulus per cerebrum impeditur, & præterea sanguis impuris est, minusque spirituosus encephalum gravat & animæ facultates impedit, ratio ni fallor patet, cur judicium, memoria, imaginatio &c., in senio labascant, & idearum excitatio, revocatio, comparatio, substitutio langueant, unde proverbium: senes bis pueri sunt.

§. XXIX.

Consideratis actionibus animalibus, lustremus actiones naturales, & quidem primum inquiramus in rationes, cur langueat appetitus & torpescat digestio. Ut alimenta rite solvantur, requiritur, ut duriora ex iis in ore adsumta dentibus probe comminuantur, ac commoleantur, jugiter & large affluente saliva emolliantur, & sic parata ad deglutitionem faciliorem & subactionem pleniorem in ventriculum commode demittantur.

Ad cibos in ventriculum delatos sufficiens liquoris gastrici copia adfunditur, cujus menstrui excellentissimi virtute assumta ulterius emolliuntur, dissolvuntur, diluuntur, ac mitificantur.

Præ-

Præterea ventriculus, vi actuosa animatus, fabrica sua membranaceomusculosa alacrem & temperatum init motum, sicque alterna sua διαστολῇ ac συστολῇ contenta concutit, cum liquore suo miscet, atque instructus quasi proprio foco calorem spirat amicum & suavem, quo tenaciora adhuc & densiora æquabiliter digerit, fluidis recludit & eorum partes ex mutua sede dejicit.

Accedit quoque diaphragmatis musculorumque abdominalium continua actio, hinc omni fere momento novo quasi animatus impulsu operationem suam & promtius & efficacius exigit, sicque massa ciborum pultacei liquaminis mollioris specie a ventriculo expulsa, tenui & tardo flumine descendit in intestina, quæ tunc ad illam plenius percoquendam & in verum commutandum chylum se ilico adcingunt, quem in finem plures efficacioresque ei adfundunt humores, qui in duodeni cavum confluunt, ibi magis elaboratur, & præbet nobis emulsum vel chylum, fluidum, blandum, subpinguem, aptumque, qui in sanguinem pervehatur, residua indigestilis & fœculenta materia intestinis traditur crassis, convenienti tempore egerenda.

§. XXX.

Antea jam monuimus, quod in provecta senectute cunei illi contundentes, scindentes, dentes nempe, ad comminutionem & commolitionem valde necessarii ex alveolis suis ex-

extrusi deficiant, unde duriora non satis commolita, neque satis saliva permixta, quia systema glandulosum multum minuitur, glandularumque tubuli maxima parte obstructi sunt, in ventriculum delabuntur, qui suo tono dejectus, multisque impuritatibus viscidis, mucidis ac biliosis obsessus appetentiam destruit.

Præterea notum est ad alimentorum subactionem non solum robur ventriculi & intestinorum requiri, verum etiam liquorem mutantem fermentabilem, hicce vero liquor etiam deficit propter collapsos atque obstructos viscerum illorum, quæ liquorem huncce fundere debent, tubulos, unde ciborum solutio ac digestio vacillat, atque ex depravata tali ciborum concoctione vitiatum chylum, qui sanguini affusus sanguinem necessario impurum reddit.

§. XXXI.

Tantum vero abest, ut sub tali sanguinis & omnium humorum dyscrasia corpus possit læte nutriri, ut potius emacietur & cachexiam contrahat.

Ex vitiosa hacce nutritione totius corporis naturalis color in pallidum plumbeumque mutatur, quia viscera primarum viarum, quæ menstrua efficaciora adferre debent, ut pancreas, hepar & cum eo connexus lien, in suis functionibus languent, & sanguine crasso copioso infarcta, interdum schirrosa facta sunt, & deinde primæ viæ, ciborum

so-

ſolutioni & digeſtioni dicatæ, variis mucidis ſordibus ſunt repletæ, chylus varia ratione craſſus & ad nutritionem ineptus elaboretur, neceſſe eſt.

Præterea in ſenili corpore ſecretiones atque excretiones impediuntur, circulusque ſanguinis, qui in ſenectute ſecundum ordinariam naturæ legem languet, magis debilis & languidus fit, ſanguis ægrius per abdominis viſcera movetur, vaſculis minoribus obſtructis fere, tandem per vaſa majora circulatio ſola peragi poteſt, quæ quoque magis magisque ſuæ dilatationi reſiſtere incipiunt, ac reſiſtentia magis augetur ſupra vim ſanguinis propulſi, hinc ſanguis retropellitur verſus cor, & materia nutriens nec ſufficiente copia ad fibras adduci nec adponi poteſt.

Obſtructis ab humoribus viſcidis ac abolitis cerebri tubulis virtutis nerveæ ad cor adfluxus minuitur, cor tandem debile evadit & ſanguine craſſo, valde viſcido & lente propellendo obruitur, tandem ſuffocatur & morti ſubjicitur quicunque mortalium, nam pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumque turres.

§. XXXII.

Tandem & morborum fluidorum in ſenibus frequentius occurrentium mentio facienda eſt.

Conſiderabo prius qualitatis & dein quantitatis vitia.

Ex qualitatis morbis ſpiſſitudo, & acritas præſertim hujus loci ſunt.

Corpora ſenilia exſucca humores ſibi fingere magis compactos ſupra jam obſervavimus.

Aqua enim interfluente expreſſa craſſamentum ſanguinis neceſſario magis cogitur.

Actiones primarum viarum torpeſcentes adſumtorum ſubactionem, qua mucidum, gelatinoſum, gummoſum attenuatur, mutatur, ſolvitur, quoque reddunt imbecilliorem, unde glutinoſum, pituitoſum naſcitur.

Hujus generationi egregie quoque favet circuitus humorum in ſenioribus tardior, ſub quo partes ſe facilius prehendere, attrahere, in moleculas majores, ægre dein iterum attenuandas, unire poſſunt.

Morbi autem, qui ætate provectis ex hoc fonte frequentius obſervantur, ſunt circuitus retardatus, viſcerum infarctus, ſtagnatio, varia corruptio, ſecretiones, excretiones impeditæ, excrementorum mucoſorum retentio, pituitæ inertis coacervatio, nutritionis depravatio; humores enim ſpiſſiores & varia ratione craſſi ad tranſitum per vaſa minima inepti, nec ex corpore exire, nec ex vaſis ad fibras ultimas pertingere, hinc nec ſufficienti copia adponi poſſe, ſana ratio docet & experientia confirmat.

§. XXXIII.

Alterum qualitatis vitium, quod ſeræ, attamen ſapientiori, ætati non raro incommodat, eſt acrimonia humorum major.

Pro-

Provenit autem hæc ex defectu humorum diluentium & abundantia partium ſalinarum, præprimis ex acrium excrementorum ſecundæ coctionis retentione oriunda.

Quum enim partes acres, per vim vitæ natæ ex corpore ſecedere non poſſunt, intus retentæ, neceſſario rodente, ſtimulante indole humores inquinant.

Renum enim ſubſtantia, atque vaſa rigidiora in cauſſa ſunt, ut partes aquoſæ tenuiores tantum ſecernantur & lotium aquoſum de corpore deperdatur, partes vero acres terreſtres retineantur.

Dein habitus cutaneus ſtrictior & vaſorum hic emittentium calloſa oſtia, magis arctata, acrium craſſiorum elapſum impediunt, & acre perſpirabile retroactum vario gradu, varioque modo humores contaminat, multisque morbis materiem præbet, ut doloribus arthriticis, rheumaticis, febribus, vaſorum conſtrictionibus, immeabilitati, catarrhis ad fauces, ad pulmones acrioribus, aſthmati, pleuritidi, peripneumoniæ, veræ, nothæ, eroſionibus, ulceribus, choleræ, dyſenteriæ, dyſuriæ, ſtranguriæ, iſchuriæ, maraſmo ſenili præmaturo, cariei, pruritui, ſomno non recreanti, vigiliis &c. &c.

§. XXXIV.

Quamquam in ſenibus in univerſum partes firmæ abundent & fluidæ deficiant, hoc tamen non impedit, quominus ſenes abundantia ſanguinis laborare poſſint.

Non raro enim experientia ſenes etiam plethoricos monſtrat.

Inquirendum igitur eſt in modum, quo hoc fieri poſſit.

Patet autem facillime, quod ſi ſanguis in ſenibus exuberet, illud fiat ex ſyſtematis circulatorii capacitate ob rigiditatem ſenilem imminuta, ſeu coacervatione in venis majori, quoniam compages ſolida denſior ex poris & interſtitiis humores magis exprimit, adeoque plethora illa ad ſpatium fit, ut illiſtris Haller, in phyſiologia ſua, eam merito fallacem ſeu ſpuriam pronunciaverit, quoniam naſceretur a deſertis vaſis minoribus nunc cœcis aut reſiſtentibus.

Præterea plethoram etiam veram ſubinde gigni poſſe, nequaquam negandum.

Multi enim dantur ſenes quorum adpetitus nondum eſt dejectus, hi ſi cibis gelatina copioſa præditis potibusque nutrientibns aluntur, ac corpus minus movent, inde excretiones neceſſariæ imminuuntur, ſanguis non ſatis in actum deducitur, verum tardius movetur, unde facile hiſce conſpirantibus plethora naſcitur.

Verum hæcce plethora periculoſus eſt hoſpes, quoniam cor tantæ moli movendæ impar, ſanguis facillime multis in locis ſtagnat, præſertim in abdomine, ubi nimis tarde movetur.

Quum nunc in vaſis, quæ ſanguinem ab inteſtinis ad hepar vehere debent, obſtructio fit, & tamen arteriæ a tergo ſanguinem adducunt, radices venæ portarum dilatari,

immo

immo ſi diſtenſio nimia foret, dilacerari debere cuique notum eſt, unde tunc fluxus cruoris ſinceri in inteſtino recto contingit, quique fluxus hæmorrhoidalis nominatur.

Is fluxus, ſi legitime fit, non ſolum ſanguinem nimium e corpore eliminat, verum etiam, e loco ubi multa mala oriri poſſunt, proxime educit, immo CLAUDIANUS aſſerit, quod hæmorrhoides ſint auxilium pro longa ſanitate, & a multis morbis præſervent, verum ſi ſubſiſtit iſte fluxus, ſenes quam facile corripiunt ſpaſmi truculenti, ſtagnationes, inteſtini recti exulceratio & quæ plura legi poſſunt in parte prima ſupplementi ſecundi operum Celeberrimi HOFFMANNI.

Quænam mala quoque fœminis non evenire poſſunt a menſtruorum evacuationis ceſſatione? nam licet ob exareſcentiam vaſorum menſtrua ſupprimantur, natura tamen non deſinit plethoram menſtruam generare, quæ una alterave via evacuari debet, hæc quum per conſuetam viam evacuatio fieri non poteſt, eadem mala, quæ in virginibus a ſuppreſſis menſtruis, oriri poſſunt, verum hæc plethora vel univerſalis eſſe poteſt vel ſe extendit tantum ad partes, unde aliquando ſubiti naſcuntur impetus, ac enormes producuntur uteri fluxus; vel vomitu ejicitur, vel ſi mammas petit, ſcirrhi & mammarum cancri inde ortum ſuum trahere poſſunt, vel & languente circulatione ſanguis lentorem ac viſciditatem contrahit, & cacochymia naſcitur.

§. XXXV.

§. XXXV.

Visis itaque iis, quæ in senectute tam quoad internum quam quoad externum corpus contingunt, & cur homo morte naturali utpote ex ipsa vita sequente tandem extinguatur, dissertationi finem imponere possem; ratio tamen postulat, ut videamus quomodo corpus diu sanum servari, immo longævum reddi possit.

Hoc fieri non potest, nisi legitimo rerum non naturalium usu, nam vanum est, quod jactant chemici se homines remediis suis pharmaceuticis vel spirituosis medicamentis, sale essentiali vel sulphure quodam metallico impraegnatis &c. diu sanos immo longævos reddere posse, multoque minus vigorem juvenilem restaurare posse, vide orationem Celeberrimi Gaubii, de vana vitæ longæ, a chemicis promissæ, exspectatione; licet legantur exempla, ubi in decrepita ætate calvitiei novi ac colorati pili successerint, novi dentes nati fuerint oculorumque usus redierit, ut auctores narrant, rariora tamen hæc esse, negat nemo; interim tamen non horum medicamentorum efficaciis, sed naturæ beneficio hæc longævitatis exempla debentur, ut cum veritate congruat effatum Tralliani, qui dixit, senium nulla medicina tolli posse.

Plures enim reperiuntur senes integris tam internis quam externis sensibus adhuc pollentes, cibos probe appetentes,

ve-

verum hi parentibus benevalentibus nati, naturam nacti satis robustam ad diutius sustinendum ac protrahendum sanguinis circulum, temperanter vixerunt, ac nullos in rebus sex non naturalibus excessus fecerunt, ad hos respicit HIPPOCRATES in aphorismis, dicens, senes minus quam juvenes ægrotare; ut & VERULAMIUS in libro de ætate ita disserit, hæc intestina, illa calamitas, quam nulla ars, nulla humana industria effugere, immo ne reprimere quidem posset; etenim si cui ab ortu temperato vel ipse ÆSCULAPIUS præsit, qui illum ab iis, quæ foris sunt, aut quæ intro sumuntur, salvum & incolumen sic tueatur, ut nullum inde corpus detrimentum capiat, is tamen a semet ipso, suaque sponte magis conficietur, consumeturque, donec extremum vitæ spiritum edat.

De illis vero, quibus natura talem robustam constitutionem non concessit, HIPPOCRATES in libro de victus ratione observat, maxime senes morbosissimos esse, id est, quibus insignis virium imbecillitas est, non solum ob ingravescentem ætatem, verum quoque ob intemperantiam & admissa in sex rebus non naturalibus delicta, quæ in juventute commiserunt, sicque ante tempus senescunt, atque imbecille habent corpus, quod morbosissimum est.

§. XXXVI.

Videamus nunc, quo pacto senile corpus diu a morbis incolume servari possit.

Constamus iis, quæ adsumimus & quibus nutrimur; cuicumque itaque sanitas curæ cordique est, ea alimenta, quæ naturæ suæ & privæ sanitati conveniunt, eligat, necesse est, nam una eademque victus ratio omni ætati non convenit, itaque Deus tam multa ac multifaria nobis præbuit alimenta, ut corpus nostrum convenienter nutrire, atque ea, quæ ad illius sanitatem proxime faciunt, eligere queamus.

Fœminis supremum Numen fontem tribuit, mammas, quæ post partum lacte turgent, quod recens natus infans, ut sibi convenientissimum nutrimentum, haurit, nam, dentibus destitutus, ac debilia habens viscera, dura alimenta subigere non potest, quare lacte nutriri materno necesse erat.

Sic quoque senibus propter dentium defectum, multasque corporis functiones labefactatas, longe alia victus ratio habenda est, quam viro mediæ ætatis robusto, aut rustico, qui propter duros labores etiam duriora subigere possunt alimenta.

Caveant ergo sibi senes, ab omnibus durioribus, salitis fumove induratis carnibus aut piscibus, ovis ad duritiem coctis, omnibusque glutinosis, ipsisque pinguibus, verbo ab omnibus, quæ in digestionis officina non facile subigi possunt.

Conducunt itaque iis cibi molliores, tam efficaci masticatione non egentes, ut sunt, carnes juniorum animalium, eorumque jusculа, a pinguedine liberata, gelatina, lac, ova

ova ſorbilia, lacte diluta, quæque ex lacte parantur, attendendum tamen ne copioſum acidum ventriculum obſideat.

In genere autem nimia repletio ſenibus inimica eſt, coctionum enim facultates deciduæ ſunt; medicinæ parens in aphoriſmis de ciborum intemperantia ita loquitur, ubi cibus præter naturam copioſior ingeſtus fuerit, morbum facit: & in libro de diæta, prava, dicit, hæc eſt diæta, cum quis plures cibos corpori præbet; atque latiniſſimus Celsus, ubi ad cibum ventum eſt, ſatietatem nunquam tutam pronunciat.

Præterea aromata, ſtimulantia, majori quantitate ſumta, licet ventriculi roborandi, appetitusque promovendi virtute polleant, ſenibus non conducunt, quia illorum uſu vaſa magis conſolidantur, & ſubtilia diſſipantur.

Quoad potulenta, quo puriora, eo ſaluberrima ſunt.

Aqua itaque pura ſimplex conducere poſſet, nam legimus in ſacris, in Eccleſiaſticis, præcipua vitæ humanæ ſunt aqua & panis, immo primævos aquæ potu uſos fuiſſe, facile noſcitur ex eo, quia ante tempus Noachi nulla vini mentio fit; legimus quoque in miſcellaneis naturæ curioſorum, de ſene centum & viginti annorum, cui adhuc integra dentitio in ſenectute obtinuit, atque hancce ſuam longævitatem nulli aliæ cauſſæ, quam per omne vitæ tempus aquæ uſui tribuebat; immo aquam cum omnibus alimentis ſumi poſſe, & innoxiam eſſe, non ſolum ratio, verum & experientia demonſtrat, inſinuando ſe in poros moleculas concretas ſolvit, obſtructos canales deobſtruit, ſales & partes

acres diluendo mitigat, & secum ex corpore ducit.

Quum vero in senibus minus vegetis ventriculus quoque non raro langueat, ejusque tonus dejectus sit, seni sola aqua non conducit, nisi vino quodam generoso permisceatur.

Jure merito ergo vinum lac senum dicitur; ventriculum eorum roborat, spirituascentiam ingenerat, circulationem promovet. Vide HOFFMANNUM, l. c.

Caveant vero sibi senes ab ejus abusu, in senectute enim caput insigni infirmitate laborat, omnia vero spirituosa nervis & capiti inimica sunt, huc enim ex peculiari corporis humani lege feruntur, & multorum encephali morborum fomes atque origo sunt.

§. XXXVII.

Ex omnibus, quæ hactenus pertractavimus, junctim consideratis, pronum est concludere, illi, qui ad morbos aut jam urgentis, aut certe adventantis senectutis, prævertendos, levandos, mitigandos, animum adplicare vellet, speciatim tria peragenda esse, nempe allaborandum, ut:

α. Principio vitali suus vigor quam diutissime constet.

β. Solidorum rigiditas nimia præcaveatur vel corrigatur.

γ. Fluidorum spissitudo & acritas præcaveantur.

§. XXXVIII.

Prius (§. præced. α.) obtinemus, dum ejusmodi vivendi

di rationem præscribimus, qua vires motrices, quæ solida animant, sive illas in fluido nerveo, sive in alio quodam fluido impalpabili ponas, vegetæ conserventur.

Fugiant igitur nimium usum omnis generis stimulantium, acrium, aromaticorum, spirituosorum, salinorum, quibus vis vitalis, in furorem acta, sine necessitate exhauritur, ut tandem justo maturius fatiscat.

Nec irritamenta mentalia hic excludenda sunt; qui enim motibus animi violentioribus sæpius agitantur, rarius senilibus annis graves videmus, dum e contrario illi, qui ab animi pathematibus gravioribus vacui sunt, longis demum ab annis consumti pereunt.

Verum hi animi motus, monente VERULAMIO non plane sunt supprimendi verum sensim moderandi, nam conducit aliquid, quod cogitationes ac animum ipsorum placide detinere possit; idem valet de corporis exercitationibus.

Quamvis enim hæ, moderate in usum tractæ, egregie corpus roborent, sanitatemque confirment, nimiæ si sunt, non solum vim motricem systema musculosum cientem, sed etiam virtutem vitalem, systema circulatorium vivificantem, in turbas abripiunt, ut & hoc, prodactis in cassum viribus, defatigatum cadat; hinc a VERULAMIO in senectute quies ac frequens dormitio maxime laudatur.

§. XXXIX.

In prævertenda solidorum rigiditate magna quoque spes vitam diutius protrahendi omnino ponitur (§. XXXVII. β.)

Vitæ igitur regimen tale obſervetur, quod firmæ compagis flexilitatem conſervat. Aëre igitur fruatur non nimis ſicco, ſed moderate humido, qui fibrarum exſiccationem nimiam impedit.

A motibus animalibus intenſioribus abſtineat, ne diſſipatis ſubtilioribus, & terreis magis coadunatis, partes nimis rigeſcant. Potus ſit diluens, licet ad officinam digeſtionis roborandam modicus vini meracioris hauſtus, ſubinde interpoſitus, egregie conducere poſſint; ſpirituoſi vero ac fortiores fugiant, nam licet, ut inquit VERULAMIUS, pro tempore quidem flammam excitent, corpori vero, hacce exſtincta, noxium eſt.

Victus ſit tenuis, humidus, qualem ſupra jam deſcripſimus.

Studeat quieti animi, & tranquilla ſerenitas per eum ſemper regnet. Excretiones, quibus corpori elementum diluens ſubducitur, cane pejus & angue fugiat.

Præprimis ſenex conſilium, cujus VERULAMIUS mentionem facit, ſequatur, nempe oleum extus, mel intus adhibeat.

§. XL.

Vitia fluidorum (§. XXXVII. γ.) quum quoad magnam partem ſint ſequelæ rigiditatis nimiæ, multum minuuntur, dum flexilitatem ratione expoſita (§. præced.) protrahimus.

Ad ſpiſſitudinem corrigendam potus diluens, leniter ſaponaceus, abſtergens convenientiſſimus eſt. In

In motu moderato magnum contra humorum tenacitatem præſidium inveniet.

Attenuandi fine ſaccharum, mel, ſucci fructuum horræorum, vel vegetabilium, ſumma cum utilitate adſumuntur, quoniam ob principium, quod in ſe habent mucidum, gummoſum, balſamicum, etiam acrimoniæ medentur.

Acrimoniam vero nimiam corrigimus potu diluente, demulcente, victu leniter oleoſo, blando, & præterea ſpiracula & emunctoria laxa ſervando, ut natura acre hoſtile naturali & ſibi privo conamine libere ejicere poſſit.

§. XLI.

Et hæc fere ſunt, quæ, non ſcribendi pruritu, ſed Academiæ lege coactus, pro juvenilibus conatibus de ſenectute morboſa in præſentia dicenda habui.

Faxit D. T. O. M. ut mihi liceat eſſe tam felici ad deſcriptum vitæ humanæ ſtadium olim pervenire, & in proprio corpore experiri efficaciam eorum, quæ ad ſenectutis moleſtias molliendas, abſtergendas, ex principiis theoreticis utilia laudavi.

Maturiores enim tunc ſpondeo fructus, quum ut corpori, ſic & viribus ingenii plenior erit maturitas.

TANTUM.

THE-

THESES.

I.

Senectus ipſa morbus.

II.

Vires ingenii in ſenibus ex vitio inſtrumentorum corporeorum minui videntur.

III.

Corpus humanum vivum ſe ipſum deſtruit.

IV.

Mors ergo æque naturalis eſt ac vita.

V.

Et plethora ſenes laborare poſſunt.

VI.

Inflammatio aut ſequitur, aut producit obſtructionem.

VII.

Spasmus eſt morbus maxime univerſalis.

VIII.

V. S. in febribus putridis rarius prodeſt.

AEN

DEN WELEDELEN HEER

CORNELIS VAN DIEPEN,

BY ZYNE BEVORDERING

TOT MEESTER IN DE GENEESKUNDE,

den 15*den van Hooimaend* 1768.

Indien wy zoo verſtandig waren
Als Ibis, Schilpad, Hert of Zwijn,
Als Wezel, Zwaluw, Ooyevaren,
Of als er honderd dieren zijn,
Die, op een zeek're wijs, zich weten te genezen;
Der Medicynen kunst zoude ons onnoodig wezen.

Maer, nu wy bot zijn, en zoo dom,
Dat wy de ziekten, die ons kwellen,
Niet kennen, noch de midlen om
Ons frisch te houden, of te 'erſtellen;
Nu is Geneeskunst goed, nu is het noodig dat
'Er zorg gedragen wordt voor 's levens besten Schat.

Nu is het goed, dat kloeke Geesten
Hun gantſche ziel op deze kunst
Toeleggen, en de vond der beesten,
De wondre kracht, de hulp en gunst
Der goedige Natuer beſpieglen en ontleden,
En, 't geen men daeruit leert, tot 's Menſchen heil beſteden.

Nu is 't voorzeker goed, dat wy,
Die dikwijls martlen, krimpen, kwynen,
Door de edele kunst der Artzeny,
Van rampen, krampen, ziekten, pynen,
Van Podagra, van Jicht, of erger nog, voor geld,
(ô Machtig geld!) ontheven worden en herſteld.

Wel hem dan, die zijn kunde en oordeel,
Zijn noeſtige arbeid, tijd en vlijt,
Den Mensch ten nut, zich zelf ten voordeel,
Der nuttige Artzenykunst wijdt!
Wel hem! die 't geen hy won door horen, zien en denken,
Tot welzijn van den Mensch, voor luttel gelds, wil ſchenken.

Wel U dan ook VAN DIEPEN! die,
Van prille jeugd af, hebt verkoren
U te oefnen in Geneeskunst, 'k zie
Uw vlijt gekroond, in Leydens Chooren,
Nu Gy bevorderd wordt ten luiſterryken trap
Van 't allermoeijelijkst-verkrijgbaer Meesterſchap.

Ge-

Geluk, mijn Vriend! ... 'k mag u niet pryzen;
Uw vlijt is reeds genoeg vermaerd:
Nu moet voorts uw Praktijk bewyzen
Wat kundigheên Gy hebt vergaerd;
Hoe Ge alle midlen kent om 't jamren, kermen, klagen,
De ſmart en pynen der Ellende weg te jagen.

My dunkt, het ziekbed kijkt al uit;
Het hijgt met uitgeſtrekt verlangen,
Het roept, met heesch en ſchor geluid,
Om U aen d'Amſtelſtroom te ontvangen:
Ga heen dan, Doctor! ga, ga welgemoedigd heen,
Wees uw Geboorteſtad een wakkere Galeen.

En, midlerwijl Ge ontelb're ſcharen
Van Menſchen redt, geneest, behoedt,
Wille U God zelf behoên, bewaren,
Voor allen ramp en tegenſpoed:
Leef vergenoegd, gezond, in walgeloze weelde,
En denk ſomtijds aen hem die U dit versje kweelde.

F. v. L.

AAN DEN HEERE
CORNELIS VAN DIEPEN,

Toen dezelve tot Geneesheer bevorderd wierd op den XV. July MDCCLXVIII.

KLINKDICHT.

De Vriendſchap ſpoord my aan, om in de vreugd te deelen,
Dat U op heden word een Eernaam toegewyd,
Die aan een Jongeling te beurt valt door den tyd,
Als hy zyn Luſt en Geeſt geen arbeid laat verveelen.

Dus kan 't bereikte Wit en hart en zinnen ſtreelen,
Als 't ondernoomen Werk naar onzen wenſch gedyd,
En ons van d' eerſte zorg der moeilykheên bevryd,
Die PALLAS ons doet zien in haare Luſt-prieelen.

Verflaauw in yver nooit! de voorſpoed blyv' U by!
Uwe AMSTEL-STAD verſchaff' U een genoeglyk leeven!
Zoek door uw' Weetenſchap aan 't Menſchdom nut te geeven:

Dus werd ge een waardig Lid van uwe Maatſchappy!
En als een' Wedermin uw' Min komt t' evenaaren,
Zoo ryde uw' Egt-koets ſteeds op Mirth- en Rooze-blaêren.

IN CORDE SINCERITAS.